







11. DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS

2. 60. 127  
F. 2. num. 29.

DE

ODIOSIS  
IN IVRE

1746, 6

14

QVAM

AVCTORITATE ET DECRETO  
ILLVST. FACVLTATIS IVRID.  
IN CELEBERRIMA LVDOVICIANA

PRO

LICENTIA

SVMOS IN VTROQUE IVRE HONORES  
AC PRIVILEGIA CONSEQVENDI

H. L. Q. C.

PVBLCO PROCERVVM ACADEMIAE EXAMINI  
SVBMITTET

AD D.

NOVEMBRIS clbcccxxxvi.

IO. LVDOVICVS SPAN.

G I E S S A E

Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.





2. 65. 17


DISSERTATIO IURIDICA MARITALIS

ODIOSIS  
IN IURE

AVCTORITATE ET DECRETO  
ILLVS. FACULTATIS IURID.  
IN CELEBRISSIMA LVDOVICIANA

PRO  
LICENTIA  
SVMOS IN PVSQVE IURE HONORES  
AC PRINCEPS COMITVENDI  
PVLICO PROCVRAM ACADEMIE EXAMINI  
NOVEMBRIS

IO. LVDOVICVS SPAN








*Lecturis salutem!*

**Q**uae me ratio ad scribendum permouerit adcuratius exponere supernacaneum puto; prouocans ad vniuersalem Academiarum consuetudinem, qua non nisi iis potestas datur summos artis suae honores capessendi, qui specimine aliquo eoque publice e cathedra defenso siue de doctrina siue de industria sua Reipublicae litterariae fidem fecerunt. Quum igitur ex nutu Viri ad patris instar mihi deuenerandi similis cogitatio animo meo esset concipienda; quis, quaeeso, mihi videretur verterit pagellas quasdam pro more recepto conscripsisse, iisque non tam qualemcunque iuris notitiam, quam potius mentem ab iis plane diuersam prodidisse, qui in tali rerum suarum conditione, nescio qua animi timiditate, aliorum oraculum supplices adire, quam proprias vires tandem aliquando



experiri praeoptant. De materia, quam mihi explicandam sumsi, nihil est quod moneam, nisi quod ea, utpote, prout prima in mentem venit, electa, si forte regulis de themate eligendo non in omnibus satisfecerit, id tamen pro dote habeat, quod nec inutilis dici, nec peruulgata possit. Posteriori enim non obstat ante aliquos annos hic habita dissertatio Viri Amplissimi ALEFELDII, Professoris huius Academiae longe celeberrimi, licet & ipsa inscripta sit de fauorabilibus & odiosis in iure. Etenim praeterquam quod tam ampla sit haec materia, ut pertimescendum non sit, nihil in ea esse relictum; haec quoque inter laudatam dissertationem & hanc nostram intercedit differentia, quod illa magis sit iuris naturalis, nostra civilis, deinde quod in illa recensentur tantum aliqua suo loco, in nostra vero plenius deducantur, quae legibus sunt odiosa, ut adeo actum egisse nullatenus simus insimulandi. Sed haec de materia! Forma seu methodo usus sum Iustiniana, vel si mauis, Triboniana, non, quasi eorum sententiae subscribam, qui nullam fere iuris materiam absque hoc cogitandi ordine exasciari posse autumant; sed quod naturae thematis mei videbatur quam maxime congrua, uti ex proemio h. diss. patebit uberius. Quicquid igitur in hac Exercitatione deprehenderit B. L. illud aequi bonique consulat saueatque auctori omnia, quae fausta excogitari possunt, ei animitus adprecanti.



Q. D.



● ) ( ●

---

Q. D. B. V.

## PROOEMIUM

**S**Tatim in primordio memoranda nobis est notissima; quae inter THOMASIVM & PLACCIVM, Viros Clarissimos, setuuit controuersa de fundamento distinctionis fauorabilium atque odiosorum. Historiam cuius, quanta quanta est, videre licet apud ipsum THOMASIVM in *Inst. Jurisprud. diu. app. libri II.* quo breuitatis studio remissum volumus B. L. Nostram de re tota sententiam paullo post exponemus pluribus, licet eo labore facile possimus superfedere, eo, quod hanc materiam hic non tractabimus philosophice, vt factum in diss. in praefat. nostra iamiam laudata *Celeb. ALE. FELDII*, sed sufficere nobis putamus iuridice rem consideraturis, quod claram legem pro fundamento habeat dicta fauorabilium atque odiosorum distinctio *reg. XV. de reg. Iur. in Vltio.* Scil. tantum abest, B. *Thomasi*; dum fundamentum memoratae distinctionis impugnat, se intellectum velle de iure quodam positiuo, vt potius mentem suam contrariam in *Institutionibus Iurisprud. diu. l. 11. c. 12. n. 172.* expresse declaret, dum se iam quaerere testatur de regulis interpretationis ex di-



Quamvis rectae rationis solum hauriendis, nec ignora-  
 re alias, quae scilicet debeantur iuri civ. Et sane qui  
 fieri poterat, ut legum peritus, ne dicam tantus ICtus  
 de fundamento eius dubitaverit, quod in ipsis legibus  
 fundatum reperitur quam apertissime? Quamvis igitur  
 dicta controuersia nostram materiam adcurate lo-  
 quendo non feriat, utpote qui de odiosis non disputa-  
 bimus secundum Ius Nat. seu solam rationem, sed po-  
 tius secundum Ius Civ. (voce tamen paullo latius sum-  
 ta, scilicet pro iure hum. quia scilicet ex Canonico et-  
 iam atque patrio iuribus nonnulla erimus interspersuri,) iuvat tamen, ne plane praeteriisse videamur, quod  
 nonnullis videri poterat necessarium, sententiam ea de  
 re nostram explicare breuiter. Sed, puto distinctio-  
 nem inter odiosa & favorabilia in ipsa sana ratione esse  
 fundatam, itemque regulam de illis stricte, his late in-  
 terpretandis. Primo, quia alias ipsum odium ipseque  
 fauor non minus essent nugae canorae, id quod nemo  
 temere dixerit. Sed quis negare potest, posita inter  
 odium atque fauorem differentia, eo ipso quoque poni  
 illam inter odiosa & favorabilia? Deinde nescio an quid  
 ad rem faciat, quod aiunt utrumque definiri non posse,  
 id quod maxime urgere videmus B. HEINECCIUM in  
 Log. §. 205. Ut enim taceam, multa defini non pos-  
 se, quae certo existunt, factum quoque est, quod sup-  
 ponitur. Quid enim obstat, quo minus ex conceptu  
 odii generali compilemus illum de odiosis? Nimirum  
 si odium nihil est aliud, quam prohibitas naturae volupta-  
 tem capiendi ex alterius imperfectione, requiritur sane  
 animalis



vi odiosa dicantur, quae ob certas circumstantias penitus tolli quidem non possunt, quorum tamen imperfectio non optatur modo, sed & quibusuis procuratur remediis. Specialius vero odiosa in Iure facile describuntur, quod sint illa iuris obiecta, in quorum odium leges singularia quaedam constituerunt, itidem eo fine, vt illa euadant quouis modo imperfectiora & impediatur saltim, quum penitus tolli non possint, vt adeo pro nota characteristica odiosorum in iure recte habeatur, quod permittantur magis a legibus quam adprobentur, quo ipso delicta excludi equis non videt? licet enim ea legum sanctitati non possint non esse quam maxime odiosa, non tamen adeo late sumitur iuxta usum loquendi odiosorum denominatio. Denique illud etiam circumferunt dissentientes, quod quae vni sint fauorabilia, alteri sint odiosa, vid. HEINECC. c. l. THOM. in *Inst. Jurispr. dir. c. l. n. 169. 171.* Sed mixturam hoc probat, non contradictionem, & quis siue de regulae siue de exceptionis dubitet existentia, eo, quod vtrique satisfieri vna eademque vice non possit? Dantur legum collisiones tam naturalium, quam posituarum. Sed tantum abest, vt inde alterius collidentium existentia in dubium possit vocari, vt potius firmissimam inde accipiat praesentiae suae demonstrationem. Qui enim cum alio quocunque collidere potest, quod plane non deprehenditur in hacce rerum vniuersitate? Sed sumus iusto longiores in materia iamiam ab aliis, quantum id satis est, exasciata. Cui est volupe, legat allegatam saepe appendicem libri 11. *Inst. Jurispr. dir.* apud THOMAS, legat, quae



quae hanc quaestionem probe excussit, doctissimam  
 diff. supra laudati *Celeb. Dni ALEFELD*. Nos transean-  
 mus ad ipsam odiosorum collectionem, ubi iustifican-  
 dae methodi gratia id unicum adhuc praemittere vel  
 potius ex definitione odiosorum supra data repetere iu-  
 vat, quod pro genere iis sint iuris obiecta. Iam quum  
 haec triplicia esse vel dupondius sciat; sequitur sane,  
 non sine ratione nos facturos, si primo de *personis* aga-  
 mus, quae legibus sunt odiosae, post de *rebus*, tan-  
 dem de *actionibus* in huncce censum iure meritoque re-  
 ferendis. Non tamen partem primam de personis tam  
 stricte accipimus, prout proprie intelligi solet Ius per-  
 sonarum, ut scilicet ea comprehendat, quae ad statum  
 hominis pertinent; sed utimur potius significatione vo-  
 cis *Personarum* grammatica, prout ex tractatione i-  
 psa elucescet distinctius. Neque denique in singulis ca-  
 pitibus alio utemur ordine, quam prout materia quae-  
 vis nobis in mentem erit ventura.

CAP. I.

*De Personis odiosis.*

*§. I. De Nautis cauponibus & stabulariis.*

**P**ONAMUS igitur primo loco N. C. & St. h. e. exer-  
 citores N. C. & St. vel quod eodem recidit, in  
 quos quaestus exinde redundat, l. 1. §. 5. ff. b. t.  
 Horum vitae genus ob varias, quibus scatebant, ini-  
 quitates ita inuisum fuit Romanis, ut quaevis fere ma-  
 la





( 9 )

la de eo praesumerent, idque contra communem iuris rationem. Sic furibus sese ad sociare creduntur in *l. 1. §. 1. ff. h. t.* Videntur leuissimae fidei homines. HORAT. *Serm. 1. s. v. 4.* Speciatim in cauponis sub specie ministrandi feminae credebantur prostitui. *l. fin. C. si manc. ita ven.* Imo iniuriae in patrem vel dominum reus videbatur, qui seruum vel filium eius in popinam deduceret. *l. 26. ff. de iniur.* Quid igitur mirum, quae in legibus fulget sanctitatem non nisi minitantibus oculis haec iniquitates inspicere suoque odio atque indignatione potuisse iudicare dignissimas? Inde praecipue deriuanda venit multitudo actionum contra id genus hominum competentium, si quidem nulla iuris remedia contra eos videntur superuacanea. OL. DEND. *progymn. act. Cl. 7. act. 5.* In primis vero huc pertinet a praetore praeter omnem necessitatem ac solummodo in odium exercitorum inuenta de recepto actio. Quum enim N. C. & St. actione locati vel depositi conuerti non nisi de culpa lata vel leui tenerentur. *l. 23. ff. de R. I.* iam ex hac actione praetoria obstricti etiam sunt ad leuissimam. *l. 1. §. 3. l. 2. ff. h. t.* adeo, ut necesse non sit probare culpam, sed exercitor eam abfuisse probare teneatur. STRYK. *V. M. h. t. §. 1.* id quod ad casus pertinet, ubi probanda venit negatiua ab hocce onere alias libera, quamuis & dici possit, non tam culpae absentiam, quam casum fortuitum esse probandum. vid. CHRISTIN. *ad LL. Mechlinens. t. 8. art. 15. n. 12. 13.* Ceterum licet non ita perditae improbitatis apud nos sint. N. C. & St. ac apud Romanos, non tamen ideo o-



mne aduersus illos odium sublatum, partim, quod non sufficiat ad legem tollendam, quod ratio eius in vno vel altero individuo cesset, sed vniuersalis requiratur cessatio, BEYER *pos. Inst. l. 1. t. 1. pos. 22. lit. g.* partim, quod & alacri equo calcaria admouere non plane sit inutile.

## §. II.

## De Publicanis.

Progredimur ad publicanos, de quibus querelas mouet *l. 9. ff. de l. Rhod. de iactu*. Vocantur autem a publico, quia sunt publicorum vectigalium conductores, *l. 12. §. 3. ff. b. t.* Non Romanis solum, sed & Iudaeis admodum fuere exosi, prout tam profani, quam sacri scriptores testantur. Quam quidem existimationis maculam sibi ipsimet contraxerunt, vim & damna saepius inferendo, plus iusto exigendo vectigalis nomine &c. Vnde est illud VLPIANI in *l. 12. b. t. quantae audaciae quantae temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est, qui nesciat*. Idcirco Praetor ad compescendam eorum audaciam hoc edictum proposuit. Imo idcirco, ego putauerim, LL. tot odii sui iustissimi tela in eos retorquent, Pertinet huc primo mala praesumptio aduersus illos militans, BEYER *pos. ff. de edendo pos. 28.* Deinde quod publicano, cuius seruus damnus dedit, denegetur electio domino alias competens, vtrum scil. noxae dare, an damnus retarcire malit, idque propterea, quod publicani plerumque vagos seruos & fugitivos in suis operis scientes habere soleant, *l. 12. §. 1. 2. b. t.* Tandem huc quoque trahimus,



timus, quod habet MVLLER. ad STRVV. *b. t. tb. 39. c.*  
 publicanos, si quando non sint soluendo, bonis cedere,  
 carcerisque ignominiam evitare non posse, quod tamen  
 non nisi de debitis vectigalium pensionibus caue intel-  
 ligas.

§. III.

*De Iudaeis.*

Iudaei vocantur, qui quod ad religionem non ni-  
 si legem seruant Mosaicam. Hos ad odiosos referre nul-  
 li dubitamus, non obstante, quod supra in prooemio  
 huius Dissert. me dicere nemini, quod ad odiosa refer-  
 ri non debeant delicta. Quamuis enim negari non pos-  
 sit, Iudaismum a Iure Canonico ad delicta referri; tan-  
 tum tamen abest, vt id non verbis solum, sed & reapse  
 fiat, vt potius ad contradictiones iuris Canonici iure  
 meritoque referatur. Scil. Infidelitatem, (sub quo no-  
 mine & Iudaei comprehenduntur & pagani,) immo  
 quamuis religionem, vbi eius aedificae non tolerantur,  
 crimen constituere ecclesiasticum plane est extra dubium,  
 vid. III. PERTSCH. *Elem. Iur. Can. II, 286.* Adprobat id quo-  
 que ius ciuile, dum Manichaeismum vult esse publicum  
 crimen *l. 4. §. 1. C. de haeret.* Ast vbi toleratur religio,  
 ibi pro delicto ea haberi non potest, atqui in Iure Ca-  
 nonico toleratur Iudaeorum religio, *c. 3. X. b. t.* Ergo.  
 Quapropter licet hoc Ius pro delicto Iudaismum decla-  
 ret, reapse tamen pro odioso tantum habet, cuius rei  
 fundamentum partim suppeditat *c. 13. X. b. t.* partim  
*Illust. PERTSCH. c. 1. §. 287.* Vbi docet, calamitates,  
 quas



quas perpeſſi fuerant Chriſtiani ab infidelibus, huic odio cauſam dediffe, & ipſos Imperatores ad legumlationem contra infideles excitaffe, vt adeo iam quoque ratio pateat, cur Iure ciuili multa inueniantur in odium Iudaeorum introducta, cuius rei exempla paullo poſt delibabimus quam breuiſſime. Huc accedit capitale illud odium contra Chriſtianos, quod Iudaeis vt plurimum ſolet imputari, ſiquidem Chriſtiani, LVTHERO iudice, maiorem poſt diabolum hoſtem non habent, ac quidem Iudaeos. Sed age videamus tandem ea ipſa, quae in odium Iudaeorum LL. conſtituerunt. Pertinet huc primo, praesumptio peſſima, quae contra Iudaeos militat, qua habentur ſuſpectae fidei homines ad perurium valde procliuēs, SETSER *de iur. l. 4. c. 12.* Porro eorum credita regulariter praesumuntur uſuraria. STRYK ad LAVT. *de her. & act. vend.* voce: *uſuraria.* Habentur pro ſeruis Chriſtianorum, quod quidem propriae eorum culpaē adſcribit *c. 13. X. h. t.* Ex hoc fonte remouentur ab omnibus dignitatibus. *Illustr. BOEHM. J. E. P. V. 6. 71. ſeq.* praesertim cum potestate coniunctis, quia nimis abſurdum eſſet, vt blaſphemus Chriſti in Chriſtianos vim potestatis exerceat *c. 16. X. h. t.* cum quo conſpirat *l. 19. C. h. t.* Imo licet tutelae munus dignitatem non contineat; tamen pupillis Chriſtianiſ tutoris iudaei dari non poſſunt, ne ſcil. eos ſeruali ſua ſecta corrumpant; FINCK *O 84. n. 7. 37. 38.* licet id permittatur in *l. 15. §. 6. ff. de excuſ.* Denique non deſunt, qui Iudaeos in genere ab omnibus beneficiis iuris communis excludunt, de quo latius egit, vulgaremque errorem

errorem



rorem explofit Vir Perillustr. de SENCKENBERG in  
*Diff. inaug. de dot. mul. Iud. cap. II. §. 10. & tot. c. III.*  
 Iure Francofurtensi Iudaei incapaces declarantur hypo-  
 thecae rerum immobilium *P. II. tit. 12. §. 8. tit. tit. 18.*  
 §. 6. Usuraria eorum prauitas varie coërcetur atque re-  
 primitur per *d. t. 12. §. 4. seq.* Imo in *P. 2. tit. 17. §. 9.* ad-  
 simulantur vsurarum suspectis, inque eorum odium hoc  
 singulare constituitur, quod iis actoribus ante litis conte-  
 stationem pignus pro debito relinquatur iustum, eoque  
 ipso liberatus sit debitor. Ceterum de Iudaeis dicta ad  
 paganos adplicari notissimum. V. A. ENGAV. in *Elem.*  
*Iur. Canon. L. III. §. 23.*

§. IV.

*De Aleatoribus.*

Prouehimus igitur calamum ad aleatores non Ro-  
 manis modo, sed & Iudaeis olim admodum exosos. Di-  
 cuntur vero, qui aleam, h. e. fortunae ludum propter  
 lucrum exercent, de quibus iam vberius tractaturi prae-  
 mittimus quaestionem de moralitate ludorum, etiam  
 fortunae. Deprehendimus vero, re penitus inspecta,  
 nec iniustum, nec turpe in illis quidquam. Aequiua-  
 lent enim donationi conditionali, adeoque eatenus liciti  
 sunt, quatenus ipsa donatio. Sed accidit iis plerumque  
 quod donationi haud aequae. Producant scil. otii stu-  
 dium, opes suas iactandi temeritatem, execrationes, ma-  
 ledictiones, quid? quod blasphemias *l. 4. §. 1. C. de*  
*episc. audient. rixas, verbera, homicidia & innumerabi-*  
*lem fere facinorum seriem. Ut adeo, omnino e re ef-*



se videatur Reipublicae tales ludos omnino proscribere. Placuit id olim Iudaeis, quibus alea videbatur furto accedere & infamia notabatur. SELD. *de iure. N. & G. l. 6. c. 11.* similiter Romae nihil eo ludo turpius fuisse obferuat B. HEINEC. *Elem. ff. h. t. §. 259.* vt adeo mirandum sit maxime cum TACITO *de mor. Germ. c. 24.* qui fieri potuerit, vt maiores nostri ita in deliciis habuerint aleam, vt inter serua eam exercerent, tanta lucrandi perdendique cupiditate, vt, cum omnia defecerint, extremo ac nouissimo iactu de libertate contenderent. Rectius sane *Ius. Can.* commerciis inhonestis illam adnumerat propterea ne interesse quidem ei clericos patitur. *c. 15. X. de vit. & hon. cler.* quae prohibitio in *auth. interdicimus C. de episc. & clericis*, vsque adeo extensa est, vt contrauenientes per triennium ab officio suspendantur. Omnium vero praestantissimum, quae LL. in odium aleatorum constituerunt, illud est, quod sine suo eos excedere faciant, dum non solum victori denegant actionem ad lucrum petendum *l. 2. §. 1. ff. qu. rer. act. non datur*, sed etiam victo, vel, si hic nolit, alii cuius concedunt conditionem ad repetendum a victore, quod perditum est, eique actioni non nisi 50. annorum spatium praescribi patiuntur. *l. 1. l. 4. §. ult. b. t. iunct. l. 1. l. 3. C. b. t.* Deinde iis quodammodo adimunt occasionem ludendi, dum haud facile ad hunc finem pecuniam accipient mutuam, quia creditori ea casu denegatur repetitio. *arg. l. 12. §. 11. ff. mandati & GRÖ. NEWEG, ad ff. de aleat.* licet dissentiat SCHVITZ *in Comp. Laut. b. t.* Tandem iudicium denegare Praetorem iis, apud



pud quos alea lusum, in vulgus notum est. l. 1. ff. h. r. ut adeo ei diutius immorari inutile sit. Quapropter linquo hancce materiam; subiectis verbis BEYERI ad ff. h. r. quod scilicet mores, licet non prohibeant ludum, aspernentur tamen, quo ipso superest adhuc atque viget nonnullum aduersus illos odium. Quod vero non in totum superfit, illud perantiquis atque inueteratis patriis in contrarium moribus adseribo.

§. V.

*De redemptoribus alienarum litium.*

Inter personas odiosas merito etiam collocare mihi videor redemptores alienarum litium; vti ab *Imp. Anastasio* in l. 22. C. mandati vocantur, qui cessiones aliis competentium actionum in semetipsos exponi properant. Dicuntur alias vitiigatores, interceptores ac quadruplatores. vid. *opusc. Diff. BEYERI Diff. 9. th. 4.* Odiosum eorum genus esse vel exinde patet, quod lites fere in genere iuri videantur odiosae, vti in c. 3. §. 1. plenius deducetur, deinde quod hoc modo diuersis personae litigatorum vexationibus afficiantur l. 22. C. mand. vexationes vero legibus esse odiosas demonstrat *BRÜCKNERI Diff. de vex. odio in iure.* Quare videamus, sed binis duntaxat praecipuum, quod contra vitiigatores deprehenditur, odium legale, quod equidem latet in *l. Anastas.* insigni debitorum beneficio, cuius sedes in d. l. 22. C. mand. Summam eius neruose tradit *STRYK.* in notis ad *LAVT. de her. & act. vend.* quod scilicet qui nomen emit, plus quam dedit, exigere nequeat, quo ipso



ipso conficitur, ut sine suo excidant alienis actionibus inhiantes. Sed quid haec latius exequi opus? cum otium haec in re nobis iam fecerit auctor Diss. supra allegatae apud BEYER. Obtinere ceterum hodiernum Anastasianam constitutionem dubitare profecto non potest, qui considerat rationem eius non in apicibus iuris Quiritum; sed in ipsa aequitate naturali consistere, quia scilicet odiosa sunt ingenia litigabunda, quaeque alienas lites captant, ut aranea muscas. BRVNNEM. *tr. de cess. act. c. 1. n. 13. & c.*

§. VI.

*De heredipetis.*

Definitione hic opus non est, quis enim non intelligit, heredipetas esse, qui hereditatem petunt; i. e. ei insidiantur. Videri autem poterat, heredipetas ideo nullum mereri odium, quia aquirendi studium sit extra legum reprehensionem, *arg. tot. tit. de aq. vel. dom.* Sed quis non videt, acquisitiones esse vel iustas, vel iniustas, vel denique iustas quidem, sed minus honestas; illas voco, quae a legibus plane adprobantur, istas, quae plane reprobantur, has denique, quae non quidem prohibentur, nec tamen vere adprobantur, sed permittuntur magis, puta quaestum meretricium, scenicum & quae sunt alia, quales aquirendi modi omnes omnino legibus sunt odiosi. Atque huc in primis pertinet, de qua modo nobis sermo est, hereditatis petitio, in hoc nostro sensu, ne pro actione accipiatur. Est enim contra honestatem, quia heredipeta spem iustam interuertit vel interuertere saltim conatur successurorum ab intestato, dum scilicet de morte cogitantem impellit ad testam.



stamentum condendum vel pactum ineundum successo-  
rium. Accedebant in Republica Romana aliae ratio-  
nes singulares, cur hereditatis inihiatio esset odiosa, v.gr.  
vfitatae heredipetis fraudes atque insidiae contra ipsum  
testatorem suum vel promissorem hereditatis, item fauor  
insignis testamentorum, utpote quorum licentiam tur-  
pissimae heredipetarum artes haud raro interuertebant;  
at vero nemini licet libertatem de supremis iudiciis con-  
stringere *l. 5. 20. §. 9. ff. pro soc.* Ipsum vero contra here-  
dipetas odium, quod LL. fouent, potissimum sese exse-  
rere videtur primo in prohibitis pactis successoris. De-  
inde cum post hanc prohibitionem per testamenta ac-  
quirere heredipetae studerent, alium obicem eorum  
fraudibus LL. opponendum putarunt, puta querelam  
inoff. test. quum antea liberum cuique esset heredem in-  
stituire, quem velit, neglectis plane consanguineis *l. 1. 20.  
ff. de V. S.* In iure Francofurtensi singularis est tit. de  
testandi prohibitione vel coactione *P. IV. tit. 8.* id quod  
potissima est heredipetarum occupatio. Videmus ibi  
similiter vt in *l. 1. pr. ff. Si quis aliquem test. prohib.* he-  
reditatem eiusmodi fisco vindicatam.

§. VII.

*De Mimis s. histrionibus.*

Mentionem fecimus in §. praeced. vitae histrioni-  
cae odique in eam constituti. Ansam igitur inde adri-  
pimus plenius eam materiam, pro instituti tamen ra-  
tione, enucleandi. Sunt vero mimi vel histriones, qui  
vel

C



vel intra scenam vel extra eam gesticulationes exercent, imitanturque dicta factaque moresque hominum, a *mimorum*, imitor. CORV. *Lex. Iur.* Horum vitae genus in se spectatum nihil continet reprehensione dignum, quin potius Reipublicae proficuum illud esse contenderim, si scil. moralia in theatro repraesententur virtutisque amoenitas atque splendor, vitiorum contra detestabilitas atque foedor spectatoribus ponatur ob oculos, Contra ea si seurrilibus atque obscenis scenae repleantur, nescio quae utilitas Reipublicae inde prouentura sit, certo potius persuasus, fontem id praebiturum deterrimorum flagitiorum. Atque sic comparata erat mimorum Romanorum conditio. Erat enim scurrile hominum genus & verborum obscenitate gestuumque turpitudine infame. vid. BEYER ad *Inst. de exb. lib. lit. e.* Vnde non mirum, plura odii legitimi contra hunc hominum ordinem exempla extare, v. gr. quod liberi mimos sequentes a parentibus possint exheredari *Nov. 115.* quod iniuriam faciant histriones habitu splendidioris ordinis incedentes ALTHVS *Dicaeolog. p. m. 448. n. 11.* speciale exemplum habet *l. 4. C. de epise. aud.* Mimis vero in hac materia merito aequiparantur arenarii seu bestiarum, qui scil. in arenam pugandi causa descendeant. Talia ingenuos non decuisse & ad seruos fere ablegata fuisse docet BEYER *cit. l.* ubi subiungit, non procedere argumentum a mimis & arenariis Romanis ad hodiernos Comoedos, operistas, mirmillones seu Ba- tuatores, germ. *Klopsf. Fechter* sed distinguendum mihi videtur, qualem se comoedum quis gesserit.

§. VIII.



§. VIII.

*De Accusatoribus.*

Inter odiosos ambulare quoque videmus accusatores, i. e. qui crimina vindictae publicae causa ad iudicem deferunt. Triplicis vero potissimum generis apud Romanos eos fuisse animaduertimus. Primo enim ex *CIC. pro S. Rosc. c. 20.* adparet, publicos Romae fuisse acesatores, qui delicta publica persequerentur, vt metu contineretur audacia, Deinde loco inquisitionis hodiernae moris erat, quemlibet delictum, quo laesus erat, deferre publice. Tandem idem extraneis & ad quos ea res plane non pertinebat, in iudiciis publicis licuisse patet ex *§. 1. Inst. de iud. publ.* Duae priores species nihil reprehendendum continent, tertia autem licet permessa, non tamen adprobata fuit, vbi patet ex *CIC. off. l. 2. c. 14.* vbi *duri hominis* inquit *esse, vel potius vix hominis, periculum capitis multis inferre, it. sordidum esse ad famam, committere, vt accusator nomineris.* Quid igitur mirum, sicuti viris cordatis, ita & legibus odiosam fuisse maleferiatam accusatorum industriam? Huc accedit, haud raro accidisse in Republica Romana, vt innocentibus dolo malo falsa crimina intenderentur, *l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* Cui pessimo exemplo ita obuiam iuerunt LL. vt calumniantibus destinarent supplicii similitudinem *l. 10. C. de calumn.* quia accusatori inulta non esse debet calumniosa accusatio. Inde igitur deriuanda est in odium accusatorum introducta in crimen subscriptio, quae nihil est aliud



aliud quam obligatio ad similitudinem poenae in casum succumbentiae, quam accusator libello tenebatur subscribere: *l. 2. C. de exhib. & transm. l. 3. 7. pr. §. 1. b. t.* Ex hoc vero deuo sequitur ratio, cur procuratorem dare nequiverint accusatores *l. 42. ff. de procur.* Porro ex odio eorum hominum & illud descendit, quod accusare prohibeantur, qui aduersus duos reos iam accusationes institutas habent *l. 8. ff. b. t.* quod hic iuramentum deferre non liceat, *l. ult. C. de prob.* sed accusator intentionem suam praecise probare teneatur. MVLL. ad STRVV. P. III. p. 955. Ceterum aequè nobis ac Romanis odiosam esse accusationem vel exinde patet, quod accusator carceri mancipandus sit, nisi cautionem praestiterit *C. C. C. art. 12.* Et nusquam fere hodie frequentatur processus accusationis, nisi suscipiatur a fiscali publice constituto. Quid? quod priuatos hodie plane non admitti ad accusandum, nisi ad eos res primario spectet, contra CARPZOVIVM late defendit BEYER *in pos. ad ff. b. t.* Iure Francofurtensi accusatores ipsi comparere tenentur, in tantum, vt, si per integram horam constitutam emanserint, facto proclamato, reus abso. uatur, actori perpetuum silentium & expensae imponantur. *Reform. P. X. t. 2. §. 15.*

## §. IX.

*De aliis personis odiosis per lancem saturam.*

Non est dubium plures passim occurrere, qui in iure sunt odiosi. Sed iis singulis vltiorem explicationem impendere, nec temporis nec instituti patitur ratio. Quare sufficiet quosdam ex reliquis coronidis loco recensere, eoque facto ad ea, quae restant, capita de-  
pro-



properare. Primo igitur odiosi nobis videntur *vitrici*, vid. STRYK, ad LAVT. l. 28. t. 6. voce *vitricum*. deinde *liberi illegitimi*, vid. BEYER in *progr. Institutionibus præmissis* p. 6. qui explicaturus *Nou. 18. c. 5.* vbi Imperator se negat liberis illegitimis sine lege succurrere posse, *Vides*, inquit; *quod consultum non putaverit, multa privilegia contra ius commune concedere, maxime in hac materia odiosa.* Ipsa vero contra illegitimos statuta in aeterna potissimum successione consistunt, vid. *Nou. 89. c. 12. §. 4. l. 2. C. de nat. lib.* adde *Ius Francof. P. V. tit. 1. §. 13. &c.* Pariter odiosi prae reis in iure videntur *actores*, secundum regulam iuris Canonici: *Quum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori. c. 11. de reg. iur. in VIto.* Sed de hoc plura proferemus infra c. 3. §. 1. Porro cum inter duos non dentur vota maiora, adeoque in casu, si dissentiant duo focii, vix determinari possit de iure naturae, cuius voluntas sit praeferenda, vel quod expediens sit eligendum; sustulit plane hoc dubium c. 56. *ibid.* siquidem in iure communi potioem esse iubet conditionem prohibentis, manifesto indicio, huic fauorem, praecipienti vero in re communi, odium in iure esse destinatum. Poteramus denique aliorum exemplo *usurarios, haereticos*, odiosis adiungere; sed eadem mihi videtur ratio, ac si *fures, raptores, adulteros*, aliorumque criminum reos huc vellemus transferbere. Scilicet distinguendum probe est, uti in prooem. huius dissertationis iamiam monere me memini, inter odiosa atque delicta: illa permittuntur magis, quam adprobantur; haec ve-





to plane reprobantur ac prohibentur a legibus. Iam nemo ibit inficiās, haeresin, apostasiam, vsurariam prauitatem &c. delictis adnumerari; ergo nec ad odiosa sunt referenda, nisi in sensu latissimo, quo omne, quod illicitum, omnis fraus, omnis dolus erunt odiosa. Eadem meretricum est ratio, vtpote quarum blanditiae hodie pertinent ad prohibita, Iure Romano tantum ad odiosa, quia scilicet tolerabantur quidem *l. 4. §. 3. ff. de cond. ob turp. caus.* non tamen adprobabantur, vti colligimus ex exheredatione propterea permitta *Nou. 115.* aliisque textibus pluribus vid. *l. 14. ff. de his, qu. ut indign. l. 4. C. de episc. aud.* quibus adde SCHNEIDEW. *ad Instit. de iniur. §. 1. n. 25.* & BEYER *ad Inst. de locat. pos. 20.* Id vnicum adiicere iuuat, sollicitatores quaestus gratia in loco Camerae Imperialis perpetuo degentes multarumque caussarum sollicitaturas ad se pertrahentes admodum odiosum genus hominum vocari BLVMIO in *Proc. Cam. tit. 63. §. 10.* & quem ibi allegat, MAGENHORSTIO *O. 79.* quod adeo minime extendendum ad hos, qui a suis principalibus ad ipsorum causas vigendas cum speciali mandato sunt ablegati. Sed progrediamur ad CAP. II, exempla quaedam adlaturi rerum, quae in iure sunt odiosae, vbi tamen praemonendum, occurrunt ibi quaedam, quae mutato nomine ad personas referri poterant, & vice versa. Sed proprium veluti hoc incommodum est methodo Tribonianae, ad rem ipsam tamen nihil id facit. Interim regula, secundum quam vel ad personas vel ad res quid retulimus, nobis fuit vsus loquendi, v. gr. Aleatores, redemptores alienarum



narum litium, heredipetas in iure esse odiosos, magis sollempne est ICTis, ac si diceres, aleam, redemptionem litium, hereditatis inhiationem &c. talia esse.

CAP. II.

*De Rebus odiosis.*

S. I.

*De secundis nuptiis.*

**P**rimae mihi hic in mentem veniunt secundae nuptiae Iuribus Romano, Canonico atque Patrio valde exosae, vt mira plane sit inconsueta haecce diuersorum iurium consonantia. Vocantur autem secundae nuptiae, quaecunque celebrantur post primas, siue secundae eae fuerint, siue tertiae, siue quartae. Videamus igitur primo fundamenta vniuersalis fere huius odii, deinde & eius effecta. Romanis parum laudabiles videntur secundae nuptiae, (vt verbis vtar B. HEINECCII in *El. ff. P. IV. §. 178.*\*) maxime ob liberos prioris matrimonii, quibus raro admodum viles esse possunt. Notissimi siquidem per experientiam sunt vitricorum ac nouercarum doli, quibus solent coniugibus suis irrationabile odium in priores liberos inflare *l. 10. in fin. C. de sec. nupt.* Deinde quantum ad *Ius Can.* notandum, id quem admodum virginibus ob fornicationis periculum primas concedit nuptias & excusabile facit, quod per se non adpetitur; ita ob eandem fornicationem vitandam concedere



dere viduis secunda matrimonia *c. 10. C. 31. qu. 1.* Iuris Germ. denique rationem, cur odio habeat has coniunctiones, suppeditat TACITVS *de mor. Germ. c. 19.* vbi scil. *in quibusdam ciuitatibus non nisi virgines nubere scribit, & unicum eas accipere maritum, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament*, h. e. feminas magis nubere honoris causa, vt scil. sint matresfamilias, quam voluptatis. Iam vero, mortuo etiam marito, hic finis obtentus est, vt adeo nouo opus sit minime. Sed progrediamur ad ipsa huius triplicis odii effecta, quae, quantum ad *Ius civ.* velut in nucleo exhibet laudatus HEIN. *cit. l.* vt adeo tuto hic praetermittantur, *Ius Can.* quibusdam plane denegat secundi matrimonii celebrationem *c. 1. X. de diuort. c. 3. C. 35. qu. 8.* adde CONC. MATRISCON. *II. c. 16.* & CONC. TOLET. *XIII. c. 5.* ceteris permittit quidem, sed subiuncta hac protestatione, quod, quicquid permittat, nolens praecipiat, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possit. *c. 9. C. 31. qu. 1.* Inde igitur est, quod bigami ad diuinorum celebrationem non debeant admitti *c. 3. X. de bigam.* deinde quod non detur secundis nuptiis benedictio *c. 1. X. h. t.* licet hic & alia ratio concurret de prohibita scil. benedictionis reiteratione *c. 3. ibid.* Sed accedamus etiam ad ea, quae *Ius patrium* de hisce nuptiis statuit, quorum omnium summa eo fere redit, quod vidua iterum nubens prioris matrimonii iura amittat V. A. ENGAV *in Elem. I. Germ. l. 1. §. 426. & 28.* vbi specialiora ex hoc principio etiam in *Iure Romano* fundato, *arg. l. 13. C. de dignitat.* descendencia traduntur. Videmus igitur, huius iuri



iuri magis in viduabus quam viduis secundas nuptias esse inuisas, id quod cum iis, quae ex TACITO supra adtulimus, quam maxime conuenit, adde PETR. MVLL *diff. de odio sec. nupt.* Iure *Francosurtens.* illud in odium secundarum nuptiarum statutum videtur, quod, si liberi adsint prioris matrimonii, vltra filialem portionem dotis vel donationis propter nuptias nomine nouo coniugi promitti non possit, it. quod super bonis tam defuncti quam propriis inuentarium ante sit conficiendum, *Reform. P. III. t. 4. §. 2. 6.* Vtrumque respicit fauorem liberorum prioris matrimonii, adeoque mirifice conspirat cum ratione odii, quod contra has coniunctiones fouent Romanorum leges, secundum ea, quae diximus supra. Porro successio liberorum parentibus hoc casu adimitur, solo concessio usufructu, idque procedit, si vel maxime consenserint liberi vel illorum propinqui. *Reform. P. V. t. 2 §. 9.*

§. II.

*De Variatione.*

Similitudinem habet cum §. *praec.* variatio, quia & is variabilem prodit animum, qui pristini amoris immemor ad nouum prouoluitur. Mutabilitas in genere est vitium hominis ita haud raro ex praecipitantia agentis, vt, quod ab initio placuit, displiceat postea. Multum inde damni alius imminere rem penitius inspicentem latere non potest. Quin imo, si ad hoc non respiciamus, indignum sane est viro graui voluntatem suam semel declaratam absque praegnantissimis mutare rationibus. Consentit Philosophia Stoica, cui virtus est constans & perpetua vitae ratio. *CIC. de leg. I. 17.* Et  
 D  
 quum



quum veterum Ictorum sententias ex stoicis principiis, tanquam ex fonte riuulos, promanasse nemo ignoret; mirandum certe non est, LL. hoc animi vitium valde abominari, & quatenus extrinsecus sese exserit, eidem quouis modo resistere. Pertinet eo praecipuis aureum illud: *qui vult quod antecedit, non debet nolle, quod consequitur* B. HEINECC. ad ff. P. I. §. 362. it. quod ab initio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis. Videmus eius rei amplissimum exemplum in pactis iure Romano alias inualidis. Tantum enim abest, perfidiam adprobasse Romanos, vt potius varia odiosa in eum statuerint, qui fidem pacto datam liberare detrectaret, licet id directo non prohibuerint. Liquescit illud ex l. 7. §. 4. ff. de pact. vbi datur exceptio contra eiusmodi perfidum it. ex l. 64. ff. de cond. ind. vbi denegatur ei haec actio, ex l. 6. ff. de compens. quae permittit compensationem hoc casu opponi, & quae sunt huius commatis perplura. Secundo loco in odiis contra varietatem illud pono, quod habet STRYK. in *Prax. for. c. 20. §. 5.* vbi docet, reuocationem iuramenti delati ante acceptationem licitam esse, ita tamen, vt denuo ad iuramenti delationem confugere actori non liceat, idque ob odium variationis, vid. l. 11. C. de Reb. cred. Atque eiusmodi exempla habemus adhuc multa alia. Sic nec hereditatem semel aditam repudiare §. 5. l. de ber. qual. nec semel repudiatam denuo licet adire l. 13. pr. ff. de acquir. l. omitt. her. Vide tamen de priori BEYER ad ff. eod. t. pos. 8. Posterius autem, quod adinet, excipiuntur heredes sui, qui, bonis nondum distractis, poe-



poenitere possunt, *l. ult. C. de repud. her.* Postremo venditor habet quidem electionem, utrum pretium petere, an vero legem Commissi. exercere velit. Si autem alterutrum semel elegerit, postea variare non potest, *l. 4. §. 2. ff. de l. Com.* Non enim audiendus est contrarius sibi, *s. sollicitudinem. X. de appell.*

§. III.

*De Ingratitudine.*

Sicuti variatio, ita & ingratitude ad ea pertinet, quae vitia magis quam delicta vocari, adeoque in foro humano coerceri non possunt, sed tantum remedijs quibusdam odiosis quodammodo impediri atque restringi. Plura eiusmodi recenset BEYER in *L. N. pag. 41.* Excipe tamen *LL. Graeciae antiquas*, quarum poenas in ingratitudinem statutas vide apud BOECLERVM in *Diss. de act. ingrati.* Est autem ingratitude, turpissimum fere omnium vitiorum, quia Viro honesto pudor naturalis summa lex est; nihil fere aliud, quam odium vel saltem indifferentia contra benefactorem, quae si per solam omissionem sese exerit, simplex vocatur; praegnans vero siue qualificata, ubi accedit commissio. In utramque odium conceperunt *LL.* quod quidem, quantum quantum est, at certe est maximum, si paucis proponere velis, suppone thesin generalem: benefactoribus in odium ingratorum concedi facultatem beneficium reuocandi, licet alias reuocatio & ipsa sit odiosa, LAVT. *Colleg. ff. l. 39. §. 5. §. 49.* Sed quem-

D 2

admo-



admodum minus malum, in comparatione ad maius, bonum veluti est; ita odiosa reuocatio, in respectu ad ingratitude[m] adhuc magis odiosam, fit veluti fauorabilis. Specialia exempla theos nostrae generalis modo datae habemus primo in *exheredatione liberorum*, ita, vt ingratitude sit veluti fons atque primum principium caussarum exheredandi, haeresin, magiam, vitas histrionicam & meretriciam si modo exceperis. Alius casus est in *liberto & filio ingratu* in seruitutem vel patriam potestatem retrahendis, in *reuocatione donationis*, in *prinauacione feudi* ob feloniam &c. de quibus omnibus vide sis *Nou 115. §. 1. Inst. de Cap. dem. l. vn. C. de ingr. lib. §. 2. Inst. de don. §. II. F. 23. 24.* Singularis quoque ingratitude[m] poena est, quod quandoque ab intestato repellatur ingratus, vt si ingratitude eius impedimento fuerit, quo minus testamentum condere defunctus potuerit, v. gr. si filius patrem testari prohibuerit, ab hostibus captum neglexerit. vid. STRYK. *de succ. ab int. diff. 12. c. 2. n. 28. 38.* Quid? quod fieri potest, vt ingratus ab hereditate repellatur, licet sit institutus, puta si necem defuncti, eum possit, non vindicauerit. *tit ff. de sc. Silan. & Claud. si captum redimere neglexerit aut si captiuu C. de episc. & cler. &c.*

§. IV.

*De Inaequalitate.*

Omnes homines quoad essentiam sibi inuicem esse aequales, id nemo vnquam temere negauerit. Quare inuisa



inuisa admodum illorum est insolentia, qui sibi prae al-  
 tero singulare quid tribuunt, vel supra illum vlllo modo  
 sese extollunt, nisi qua Imperio humano magis ad conser-  
 uandam, quam destruendam naturae aequalitatem opus  
 est. Idem probe perspexerunt *LL. Rom.* vrpote non  
 contentae. ( vti habet encomium Icti eximii. SAM.  
 STRYKII in *epist. grat. ad diff. de pact. success.* ) mani-  
 festa scelera vltore gladio reieccasse, sed &, quae sub  
 liciti pallio latitant, piacula eliminare serio adnissae, quo  
 ipso indigitare Vir summus videtur; de quibus nobis ser-  
 mo est, odiosa in iure. Inuisum vero legibus esse, quic-  
 quid inaequalitatem inducit, compluribus textibus po-  
 test firmari. Sic in *l. 49. §. 2. ff. de recept.* dispo-  
 nitur, compromissum morte alterius litigantis ni-  
 hilominus dissolui, quamuis ab alterutra parte he-  
 reds mentio facta fuerit, quia scil. inaequalitatem re-  
 doleret, vnus litigantis heredes pacto obstringi, alterius  
 non aequae. Aliud exemplum idque elegantissimum sub-  
 ministrat societas, cuius iniquissimum genus esse dicitur  
 in *l. 29. §. 2. ff. b. t.* quando quis damnum, non etiam  
 lucrum, participet, quapropter & leonina dicitur a ra-  
 pacissimo animalium genere. Quemadmodum igitur  
 ex iis, quae adduximus, satis superque pateat, inaequa-  
 litatis odio admodum flagrare Leges nostras; ita  
 e contrario aequalitatis mirifico amore eas duci  
 patet ex *auth. aequalitas C. de pact. conuent.* vbi  
 aequalitas seruari iubetur in dote ac donatione pro-  
 pter nuptias, in tantum, vt si seruata non sit, inae-  
 qua-

D 3





qualitas reducatur ad aequalitatem, vti addit *l. 10. C. b. l.*

§. V.

*De Exheredatione.*

Pergrimus ad exheredationem, quae est exclusio a legitima ob causas legibus adprobatas. Eius ob generalitatem legis XII. tabb. tanta olim erat licentia, vt quis quis testator ab intestato sibi successuros pro lubitu vel instituire, vel exheredare vel praeterire tacite posset *l. 120. ff. de V. S.* Idque procul dubio ob insignem, quo apud Romanos testamenta gaudebant, fauorem. Quemadmodum vero vniuersale hoc est, ab usum puniti priuatione vsus LAVT. *Coll. ff. de adopt. §. 29.* Ita nec mirum, ob eandem rationem, & quia speciatim haud raro odium irrationabile in liberos prioris matrimonii parentes exercebant, *l. 10. in fin. C. de sec. nupt.* liberrimam olim exheredandi instituendique libertatem subsequitis temporibus ita fuisse restrictam, vt non solum certae determinarentur causae, ob quas exheredare liceret *Nov. 115. §. 22. c. 47.* sed etiam veluti per indirectum variisque odiis id reprimere- tur, quod antea erat frequentissimum. Et qui mirum esse potest, eos legibus esse exotos, qui in alios irrationabile odium exercent? Odium vero in omni exheredatione praesumi recte statuit BALDVS *ad l. liberti C. de oper. lib.* Et iniuriam in exheredatione contineri tradit BEYER *ad ff. de inoff. test. post. post. 11.* Atque hinc est, quod in exheredationem, viuo testatore, ab exheredan- do



do inualide consentiatur *l. 35. §. 1. C. de inoff. test. eo*,  
 quod pacta, quae turpem causam continent, non sint  
 obseruanda *l. 27. §. 4. ff. de pact.* it, quod dolus futurus  
 remitti non possit *l. 23. ff. de reg. iur.* quia scilicet talis re-  
 missio in ventre habet tacitam ad delinquendum inui-  
 tationem. Interim, quod ad exheredationem, aliter  
 hoc in casu hodie sentiri, putat BEYERVS *c. l.*  
 Ad odia exheredationis illud quoque refero, quod sine  
 iusta causa exheredans per interpretationem pruden-  
 tum aequiparetur dementi, cuius rationem reddit THEO-  
 PHILVS, institutionum interpres: *ἐμαρῆναι διὰ τέτο, ἐπι-  
 δαν τὴν φύσιν ἀλόγως ἐμίσησεν*, insanauerat propterea, quod  
 naturam sine causa oderat. Competit autem ex hoc  
 fonte descendens querela inoff. (itidem ob odium ex-  
 heredationis,) contra quoscunque heredes institutos,  
 etiam ipsum Imperatorem, *l. 8. §. 2. ff. b. t.* cui glossa  
 addit lepidissimum Augustini effatum, quod coroni-  
 dis loco hic transferbere libet: *Qui Deum vult here-  
 dem instituire, filium vero exheredare, alium quaerat pro  
 consilio vel qui recipiat, non Augustinum.*

### §. VI.

#### *De nouis legibus.*

Praemittimus hic quaestionem generalem de mu-  
 tatione legum, quam si de humanis sermo sit, permis-  
 sam utique summo imperanti scimus, non tamen ipsi  
 vel Reipublicae vtilem. Idque ratione ipsius legistato-  
 ris ob contemptum inde in ipsum resultantem, quasi, quid  
 eiusbus conducatur, non satis in comperto habeat. Ra-  
 tione



tione Reipublicae vero ob confusionem atque incertitudinem inde oriundam, nec non quod mutationem iuris sequi soleat morum mutatio, quam subita quaedam comitatur nouitas. CORV. *Lex. iur. voce: nouare*, vt a deo verum sit illud, in iure nouitates cane peius & angue esse vitandas. CRAVETT, *Conf. 556. n. 12*. Nec latuit hoc sapientissimos legum nostrarum auctores, plus vna vice, quam odiosa ipſis sit nouarum legum introductio, testificantes. Eo enim sine introducebantur fisiones iuris, ne directo a iure, quod diu aequum visum est, recederetur. *l. 2. ff. de cons. princ.* Et minime sunt mutanda, inquit *l. 23. ff. de LL.* quae interpretationem certam semper habuerunt. Speciatim ex sollempnibus nihil facile mutandum esse, nisi ob euidentem aequitatem, patet ex *l. 183. ff. de R. I.* Odio huic adscribenda mihi videtur vacatio duorum mensium, intra quos noua lex non obligat *Nov. 66. C. 1.* Licet enim opponi nobis possit, non tam ob odium legis nouae id fieri, quam vt ea eo certius in omnium notitiam peruenire queat; notum tamen est, vnius rei plures esse posse causas, ne dicam, ob notificationem ideo necessariam haud videri eam vacationem siue *χρόνον πρὸς παρασκευὴν δίδεσθαι*, tempus ad praeparationem datum, vt dicitur *DIONI LV. p. 66.* quia alias breuius spatium legi adici non posset, multo minus verba: so fort nach Promulgation dieses unſers Edicts/ quae hodie frequentissima. Quod si igitur ipſis legislatoribus odiosa est legum mutatio; multo minus magistratibus edicta proponentibus permittendum videbatur, vt album immutarent, prout prae-



praetores id olim fecisse *περὶ χάριος ἢ κατ' ἐχθρὰν τινῶν*, in fauorem vel odium quorundam, auctor est DIO 36. pag. 21. Quapropter non solum SC. iis eo nomine oppositum, sed & *lex Cornelia & tit. ff. quod quisque iuris in alium stat.* Sed quid de iCtis dicemus id sibi haud raro fumentibus, recentiori praesertim aetate, vt haec vel illa iuris capita praeter necessitatem alio iure correcta, abolita vel mutata venditent, cum nihil saepe eiusmodi in ipsis rerum argumentis deprehendatur? Exempla allegare difficile haud foret, nisi & ea ipsa essent odiosa.

§. VII.

*De exemptione a iure communi.*

Quemadmodum mutatio legis in genere dissuadenda, vt in §. proxime praeced. deduximus; ita multo magis exemptio a iure communi, quae nihil est aliud, quam mutatio legis partialis, i. e. ratione quarumdam personarum. Et prout vel certo individuo, vel certo personarum ordini conceditur, in priuilegium abit atque ius singulare. Diximus vero, eam maiori studio legislatori esse vitandam ac ipsam mutationem generalem seu abrogationem legis, quia scil. maius Reipublicae periculum inde imminet atque ex illa. Ansam nimirum praebet rebellionem civium, qui ob neglectam inter ipsos aequalitatem, non possunt non indignationem concipere. Quare & in legibus nostris insigne eius deprehenditur odium, cuius exemplum iam supra me dare memini. C. 1. §. ult. ibi: *deinde liberi illegitimi &c.*

E

Cui



Cui pro more nostro pauca quaedam sumus addituri. In l. 14. ff. de LL. cauetur, ne, quod contra rationem iuris receptum sit, producatur ad consequentias; id quod notissimus est odiosorum in iure effectus. Plena quoque huius odii est l. 6. C. si contra ius vel &c. Licet enim alias per speciem derogetur generi reg. 34. de reg. iur. in Vlt. hic tamen prohibentur iudices rescripta, pragmaticas sanctiones vel sacras adnotationes generali iuri aduersas in disceptatione cuiuslibet litigii adtendere. Rescripta enim, decreta atque mandata non nisi ratione impetrantis, partium vel eius, ad quem diriguntur, ius faciunt l. 2. C. de LL. ut adeo in aliis, quam de quibus datae sunt, causis regulariter adhiberi non possint. Tandem huc refero Constitutionem Theodosii Imp. in l. 20. C. de poen. ut scilicet si princeps solito maiori poena reum iusserit adfici, 30. dies expectaretur, quam tamen hodie non amplius obtinere scribit BEYER ad ff. de const. princ.

§. VIII.

De poenis.

Partem legum constituunt poenae ex mente Platonis, qui tres facit legislationis sectiones, prooemium scilicet legem ipsam, & sanctionem i. e. poenam. Quapropter cum in § § his proxime antecedentibus circa LL. occupatus fuerit calamus noster; in mentem nobis venit per materiae connexitatem haec de poenis earumque in iure similitate tractatio. Mirum quidem id nonnullis visum iri nulli dubitamus, propterea, quod pro praesenti rerum nostrarum statu nihil fere magis ad salutem Reipublicae





blicae conducat, quam poenae earumque exsequutio  
 strenua. Sed respondemus, & acriter punire & poenas  
 odisse in iudicis prudentis persona vna consistere posse.  
 Eleganter eam in rem BEYERVS in *I. N. p.* 192. *Solius*  
*expiationis causa alicui cruciatus inferre communi hominum*  
*naturae repugnat & prudens non punit, quia peccatum est,*  
*sed ne peccetur.* Idem obseruamus placuisse *Sacratissimo*  
*Imp. in l. 57. C. de episc. & cler.* vbi maiorem poenam  
 contra delinquentes se proferre profiteretur; non poenarum  
 augendarum delectatione, sed vt metu poenae eos, qui ad pec-  
 candum proclines sunt, a peccando arceat. Odii igitur con-  
 tra poenas effectus videtur mihi primo illud: *grauior poe-*  
*na absorbet minorem*, ita, vt plura delicta regulariter non  
 nisi vnica poena adfiantur. vid. BOEHMERI *Elem. I.*  
*Crim. II. 28. & 29.* vbi testatur de vsu fori, ipse autem  
 ruetur contrarium. Neque ob reiterationem eiusdem  
 delicti poena debet multiplicari, FARINAC. *de crim.*  
*qu. 22. n. 18.* quo pertinet Prooemia Iuris patrii: *Wer*  
*einen würgt / darf zehen morden.* HERT. *L. 1. Par.*  
*117.* licet multiplici limitationi hoc esse obnoxium faci-  
 le largiar. *Satius porro esse impunitum relinqui facinus no-*  
*centis, quam innocentem damnare,* D. TRAIANVS Affi-  
 dus Seuero rescripsit *l. 5. ff. de poen.* *Conspirat Ius Can.*  
*in c. 12. C. 26. qu. 6. vlt.* dum melius esse iudicat propter mi-  
 sericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem.  
 Denique vel solum exinde, quod tot sint causae poe-  
 nam vel remittendi in totum, vel saltem mitigandi, (cu-  
 ius rei pleni sunt eorum, qui de criminibus scripserunt,  
 Commentarii) datur colligere, quam odiosa benignita-



ti legum sit poenae irrogatio. Quapropter leges poenales, tanquam odiosas, magis restringendas quam ampliandas esse ex *l. 155. §. 2. ff. de R. iur.* deducit BÖNIGK, *ad Inst. de exher. §. 15.*

§. IX.

*De simulatione.*

BRVNNEMANNVS explicans in *tract. de cess. act. c. 1. n. 12. - 17.* rationes legis *Anastas.* inter alias eo refert, simulationes in genere esse odiosas. Quapropter non immerito ansam inde adripimus, de iis agendi quam breuissime. Videtur autem simulatio pro genere veluti esse dolo, quando is in bonum & malum diuiditur. Vterque enim est simulatio, qua respectiue vel ad alterum laedendum vitimur, vel ad iustitiam vtilitatemque EVER. OTTO *diss. de dolo bono.* Vnde, non omnem simulationem, sed illam tantum, qua alius damnum infertur, ac inter huius species potissimum illam, quae fraudem legi facit, iuri odiosam esse recte colligitur. Res per se clara prolixitate opus non habet, ut adeo non nisi exemplis quibusdam hanc materiam illustrare fas sit. Pertinet huc primo nullitas omni simulationi, de quali nos loquimur, communis. Quum enim pari passu ambulent, contra legem fieri & in fraudem eius. HEINECC, *Elem. ff. P. 1. §. 100.* & in *l. 5. C. de LL.* omnia contra legem facta nulla esse iubeantur, dubitari profecto non potest, simulationis nullum in iure esse effectum *l. 6. C. si certum petatur.* Ut adeo facile carere possimus DD, distinctione inter illam simulationem, quae nihil



nihil plane agat, ac proinde nihil penitus valeat, & illam, quae sub specie huius vel illius negotii aliud contrahat, adeoque eatenus subsistat, quatenus id, quod sub ea absconditur. STRYK. ad LAVT. tit. de contr. emt. voce: *simulatio*. Quis enim non vider in casu posteriori non simulatum subsistere, sed potius dissimulatum? Deinde in sine simulationis odium spirat illud, quod eius allegatio non solum instrumentis guareptigiatis, omni exceptione alias maioribus, possit opponi, sed etiam per nudas coniecturas ac praesumptiones probari, LAVTERB. Coll. ff. l. 18. t. 1. §. 116. & 118. Porro quod simulatio neque per iuramentum confirmetur, neque per renunciationem tollatur, nisi vtrumque forte post intervallum interuenerit. FARINAC. de falsitat. & simulat. qu. 162. n. 17. seq. nec non n. 54. 55. 56. ut adeo plus quam Vatimianum simulationis esse odium ex iis, quae diximus, satis superque adpareat.

§. X.

De reliquis rebus odiosis index tumultuarius.

Addemus & hic prioris capitis exemplo nonnullas res alias non minus odiosas, sed quarum singulas laboriose excutere terminos modicae tractationis foret excessurum. *Legata poenae*, quae describuntur in §. 21. *Inst. de leg.* odiosa iudicamus propterea, quod testatores saepe non nisi vexandi causa heredes iis onerarent, nulla alia ratione, quam stolidi voluntate, adducti. B. HEINECC. Ant. Rom. l. 11. t. 20. §. 14. Quum vero vexatio in genere sit odiosa, vid. integram *Diss. BRÜCK.*



NERI de vexationis odio in iure, dubitari profecto non potest, de poenae legatis idem omnino esse dicendum, licet postea Iustinianus valorem iis tribuerit, modo impossibile nihil vel turpe continerent. *Inst. c. l. Ceterum quod adinet vexationem*, de qua modo obiter diximus, speciatim notandum, insignem eius speciem videri, si actionem quis cedat potentiori *l. 2. C. ne liceat potentiori*. Id quod per *Reform. Francof. P. X. l. i. n. 10.* punitur, praeter iacturam iuris celsi, *L. florenis*, vel aeternius etiam pro facti circumstantiis. *Ignorantiam iuribus* quoque variis odiis videmus circumseptam, nec non *turbationem sanguinis*, i. e. concubitus cum vidua intra tempus luctus peractum. Exempli gratia vide de priori *l. 9. ff. de iur. & fact. ign.* de posteriori plura adfert B. HEINECC. *Elem. ff. P. l. §. 402.* Porro fauor libertatis in causa est & odium seruitutis; cur odiosa sit stipulatio onerandae libertatis causa facta *l. 1. §. 5. seq. ff. quar. rer. act. non dat.* Pergimus ad *usuras*, quae Iuri Can. non sunt odiosae, sed plane prohibita *c. 10. X. de usur.* licet non desinat, qui ad mordaces illud restringant, v. HAGEN. *de usur. c. 4.* At iure civ. permissae equidem sunt, at odiosae, id quod exinde colligo, quod tacite negotio non insunt, sed vel conventionem vel moram pro fundamento agnoscant. *l. 1. 21. ff. de R. S. l. 17. §. 4. de usur.* it. quod usurae non dentur usurarum, *l. 29. ff. h. t.* Porro societatem leoninam quam maxime iuribus esse inuisam, iam supra obseruare me memini *§. 4. b. C. de donatione inter coniuges*, idem docet *tot. tit. ff. de ea, qui*

non in genere sit odiosa, sed inquam dicitur. Iure  
NERI



*Iure Francof. fere abolitus per P. III. t. 5. De locupletatione  
 ficti per opes priuatorum B. HEINECC. Elem. ff. P. VII.  
 §. 288. de praescriptione temporis longissimi SCHNEIDEW.  
 ad Inst. de suc. n. 56. de praesumptione, ob quam prohi-  
 betur matrimonium inter filium & sponsam patris, it.  
 inter fratrem & sponsam fratris, BÖNIGK ad Instit. de  
 nupt. §. 47. de arrestis STRYK. in diss. de iure pign. c. 1.  
 n. 49. & MEV. p. 3. d. 315. quibus adde Reform. Fran-  
 cof. P. I. tot. tit. 12. vbi multa in odium arresti depre-  
 henduntur statuta, puta quod sine expresso mandato  
 alterius nomine peti non possit, §. 2. quod, nisi actor  
 proxima iuridica prosequatur, inuaidum censeatur, §.  
 5. &c. Proteram denique, imo debebam, iuxta multo-  
 rum sententiam, pacta addere successoria; sed prohibita  
 ea sunt, adeoque non solum odiosa, vid. prooem. huius  
 diss. Eiusdem farinae sunt attentata, quae ad odiosa  
 referri videmus a LAVTERB. in Colleg. ff. l. 49. t. 7. §.  
 3. quum tamen ipse ibidem confiteatur, legem seuerè  
 ea prohibere. Idem verum quoque est secundum Re-  
 form. Francof. P. 1. tot. tit. 25. Magis huc pertinere vi-  
 dentur conditiones impossibiles, tam natura, quam iure ta-  
 les, ut plus petitiones, uti manifesto adparet ex l. fin. C.  
 4. t. Porro obligatio omnis, in respectu ad liberatio-  
 nem, odiosa est, per l. 47. ff. de O. & A. idem de lucro  
 aduentitio dicendum, uti vocatur in l. 41. §. 1. ff. de R. I.  
 it. de restrictione libertatis naturalis, monopolis, impedi-  
 tis matrimonii, & secundum Ius vetus German. etiam de  
 testamentis, vita urbana atque commerciis, ut adeo campus  
 rerum odiosarum sat latus dicendus sit & latior fortas-  
 sis eo, qui destinatus fauorabilibus.*

CAP.



## CAP. III.

*De Actionibus odiosis.*

## §. I.

*De litibus odiosis in genere.*

**H**umanæ indolis peruerfitas non hodie demum vel heri eo processit, ut a contentione ac litibus nulla fere societas, quamvis membrorum numero exigua, inimicis deprehendatur. Multo minus igitur in ea hominum multitudine, quam Rempubicam solemus appellare, tanta unquam felicitas potest sperari, ut omni strepitu iudicia careant, & præter transactionem, remissionem aliasue litium compositiones amicabiles nullis remediis forensibus amplius opus videatur. Quapropter amens potius ac iniustissimus dicendus esset, quam laudandus, quicumque legislator persecutiones iuris sui iudiciales civibus plane interdiceret & cerebrina quadam æquitate omnes lites eliminare vellet. Sed nec in contrarium ei currendum, ita, ut veluti in deliciis habeat litium disceptationes, easque quovis favore ac quibusvis beneficiis exornandas credat. Quin potius abstracti ab iis sunt, quantum fieri potest, civium animi & libertas agendi ita refringenda, ne calumniatoribus campus aperiat, ubi innocentes vexandi atque specie iusti variis fraudibus alienas opes acquirendi inveniunt exoptatam occasionem. Probe id perspexerunt sapientissimæ LL. nostræ, utpote quævis actionum genera



genera permittentes magis quam adprobantes, vti variis textibus luculenter potest probari. Sic in *l. 4. §. 1. ff. de alien. iud. mut. c. verecunda* dicitur eius cogitatio, qui lites execratur. Adbreuiatio earum non vno tantum loco inculcatur *l. 12. pr. 13. C. de Iudiciis l. 6. §. 4. C. de postul. l. 2. §. 9. C. de iureiur. propter calumn.* ita, vt dilationes quoque quadantenus odiosae videantur, tum quod iudicis potestas circa eas sit restrictior, tum quod omne tempus earum sit continuum, *l. 3. C. de dilat. adde sis Ius Prou. Sax. l. 2. c. 2. in fin.* quod tertiam dilationem aegre concedi testatur. Et iure *Francof.* expresse cautum est, vt magis contrahantur, quam prorogentur dilationes *P. It. 18. §. 3.* Porro odium redolet litium, quod redemptio earum partim prohibetur *l. ult. C. de litig.* partim oneratur (*§. 5. C. 1. b. diff.*) transactio iudicatur *l. 10. C. de transact.* immo inest officio iudicis, vt omnibus viribus promoueat amicabilem transactionem. *CARPZ. p. 1. c. 1. d. 10. 12. 13.* add. *ZIEGLER. de off. iud. concl. 22.* Porro & id odio litium adscribendum puto, quod tam multi ab agendo repellantur, *HEIN. Elem. ff. P. II. §. 14. seq.* quod partes reorum in iure semper sint fauorabiliores, quam actorum *reg. 11. de reg. iur. in Vlt.* quod multarum rerum actio plane non detur, *tot. tit. ff. qu. rer. act. non dat.* quod praescriptioni obnoxiae sint actiones, & quae sunt alia odium iuris aduersus lites haud leue demonstrantia. Quae quum ita sint, superuacaneum poterat videri, plura actionum odiosarum exempla accumulare, quum quod de omnibus valet in genere, ad singulas facili opera possit applicari.



plicari. Sed dantur prae aliis odiosae, ad quas reliquae relatae minus ac ne vix quidem odiosae videntur. His igitur solum colligere, quidue in earum odium statutum deprehendatur, vberius exponere animo sedet. Dabimus maioris perspicuitatis causa criteria quaedam, ad quae singulae actiones postea examinari, numque in hunc censum referendae sint, diiudicari possunt. Primum esto, quod actiones odiosae non dentur nisi in subsidium; secundum, quod solito breuiori spatio praescribantur; tertium, quod non sint ad heredes transitoriae; quartum denique, quod cessent permultis casibus. Ex quibus adparet, actionem odiosam nobis non vocari, quae in odium cuiusdam reorum generis introducta est, uti conditio furtiua §. 14. *Inst. de act.* ut scilicet pluribus actionibus fures tenerentur, it. actio de recepto aduersus N. C. & Sr. (vid. §. 1. C. 1. h. diff.) & aliae plures; sed quam lex non nisi aegre concedit & prorsus abrogari optaret, nisi id prohiberent rationes aliae. Sapienti legislatori non minus obseruandae.

## §. II.

*De actionibus vindictae persecutoris in genere.*

Primas hic defero actionibus vindictae persecutoris, i. e. iis, quibus poenam persequitur laesus delicto, quod patrimonium eius non diminuit. Videamus ergo primo de vindicta eiusque moralitate in genere, ubi deprehendimus, eam, quatenus non nisi dolorem laedentis intendit, omnino esse vituperandam secundum rectae rationis dictamina: quatenus vero laesionem



sionem vel imminetentem reprimit, vel iam illatam repa-  
 rare simulque, vt in posterum ab ea securi simus, caue-  
 re studet; eatenus conseruat magis, quam destruit, hu-  
 mani generis societatem, adeoque non licita saltim est  
 atque permitta, verum etiam officiis hominis erga se  
 ipsum omnino adnumeranda. Quid igitur de ea vin-  
 dictae specie iudicandum, quae occurrit in actionibus,  
 de quibus iam agere constituimus. Videtur ea, si  
 quidem dicendum quod res est, magis ad vindictam il-  
 licitam inclinare, quam ad licitam. Neque obest, quod  
 hoc modo illicita permiserint LL. Rom. atque adhuc  
 hodie permittant iura nostra. Quamuis enim illicitae  
 videantur dictae actiones ratione actoris; licitae tamen  
 sunt, respectu ad reum habito, utpote cui impunis non  
 esse debet malitia. Atque hoc est inter ilas rationes,  
 quae nisi adessent, actiones odiosas plane non conces-  
 sum iri diximus §. 1. h. cap. in fin. Quod si igitur pro-  
 prie loquendo laesionem neque auertant, neque repa-  
 rent actiones vindictae persecutoriae, vti quidem ex  
 sequentibus adparebit specialius; mirum sane videri non  
 potest, eas in iure esse odiosas, quia scilicet secundum  
 supra dicta hoc modo continent vindictae speciem illi-  
 citam. Hinc variis singularibus contra communem re-  
 liquarum actionum naturam eas grauatas videmus,  
 quorum potissima haec sunt, quod pleraeque earum  
 breuiori, ac reliquae, spatio praescribantur; quod nec  
 heredibus dentur, nec contra heredes &c. quorum y-  
 numquodque ad singulas earum speciatim adnotabi-  
 mus. Deprehendimus vero quinque potissimum actio-  
 nes,



nes, quae meram vindictam sapiunt, quarum quum  
 duae hodieque vigeant ac cum effectu possint intentari,  
 tres reliquae vero plane abierint in desuetudinem; recte  
 iureque nos facturos iudicamus, si prioribus singulis  
 singulos destinemus paragraphos, posteriores contra  
 vno eodemque quam brevissime absoluamus.

§. III.

*De actione iniuriarum aestimatoria.*

Ita vocatur illud remedium iudiciale, quo quis  
 iniuriam sibi illatam aestimat, petitque, vt quantitas  
 aestimationis poenae loco ipsi adiudicetur. *II. BOEHM.*  
*de act. §. II. c. XI. §. 55. & 57.* vbi eam expresse vocat  
 odiosam, idque tanquam conclusionem deducit ex gene-  
 rali hoc principio, quod tendat ad meram vindictam,  
 quo ipso manifesto adparet, idem de reliquis actioni-  
 bus vindictae persecutoriis Viri summi esse iudicium.  
 Ceterum veritatem principii modo adlati abunde do-  
 cet *l. 7. §. 1. de iniur. l. 2. §. 4. de collat.* vt adeo eius pro-  
 bationi a nobis iam non sit immorandum. Pergemus  
 potius ad criteria actionum odiosarum supra data, ea-  
 que hic vnanimiter fere conspirare demonstrabimus.  
 Primo de defectu transitionis ad heredes siue actoris,  
 siue rei, testatur *§. 1. Inst. de perp. & temp. act. & l. 22.*  
*C. de poen. & clarius l. 13. pr. ff. de iniur.* Annalem vero  
 eius durationem docet *l. 5. C. de iniur.* Reliqua in odi-  
 um huius actionis statuta partim exhibet *II. BOEHM. c.*  
*4.* partim nos hic supplebimus, v. gr. quod non solum  
 actor, (vid. *II. BOEHM. c. 4.*) sed etiam generalius ne-  
 mo



mo contra praescriptam iniuriarum actionem possit restitui. STRYK. ad LAVTERB. l. IV. t. 6. ex poena. quod, quia famosa est, contra parentes atque patronos intentari non possit l. 2. ff. de obs. par. quod perfacile remitti dicatur, id quod expresse ex eius odio deducit SCHNEI-DEWIN ad Inst. p. m. 1083. lit. a. Denique quod cedi non possit SANDE de Cess. V. 12. BRVNNEM. de Cess. IV. 58. Cetera brevitatis studio hic omittimus remittimusque B. L. ad mediat. iurid. Illustr. BOEHM. de Iniquitate & iniustitia act. iniur. it. ad diff. B. THOMASII de actione iniur. Iure Francof. omnes iniuriae tam reales, quam verbales, anno praescribuntur, exceptis solis atrocibus, quarum actio est perpetua. Reform. P. X. t. 4.

S. IX.

De actione donationis reuocatoria.

Grauius hic nobis obstat ICTUS Consummatissimus W. A. LAVTERB, in Colleg. ff. de don. §. 49. in tantum a nobis dissentiens, ut potius fauorabilem hanc actionem esse existimet. Optime igitur nos facturos iudicamus, si primo argumenta nostra, cur dissentiamus a tanto ICTO, proferamus, iudicium lectori relinquamus. Et in argumentis quidem nostris duo comparebunt ex eodem Collegio Lauterb, desumpta, quo ipso maiorem iis vim atque robur inesse putamus. Dicimus vero actionem donationis reuocatoriam, quae datur donatori aduersus donatarium ingratum ad reuocandum, quod donatum est, l. 1. §. fin. C. de reuoc. don. l. 7. ibid. Eam poenalem esse luculenter probat ipse LAV-

F 3

TERB.



TERBACH in *Colleg. ff. de don. §. 47.* At vero leges  
 poenales adeoque & actiones, quae hisce introductae  
 sunt, odiosas esse in vulgus notum est. *l. 155. §. 3. ff.*  
*de R. I.* adde BOENIGK. *ad Inst. de exher. §. XIII. reg. 2.*  
 Secundum argumentum pro firmanda nostra sententia  
 itidem mutuamur ab ipso dissentiente LAVTERB. in  
*Colleg. l. 39. t. 5. §. 49.* vbi omnem reuocationem in ge-  
 nere esse odiosam pronunciat. Iam vero a genere ad  
 speciem valere consequentiam nemo dubitabit. Sed  
 ne putes, omnia haec esse, quibus vitur in proban-  
 banda sententia nostra. Fortissimum ratiocinium hoc  
 esto: Omnis actio vindictae persecutoria odiosa est  
 legibus; actio donationis reuocatoria est vindictae per-  
 sequutoria; Ergo nec dubitare quis potest, quin ea  
 odiosae nomine sit oneranda. Ex his thesibus sola, vt  
 opinor, media probatione indiget vltiori, maiorem  
 enim ex ipsis fontibus roborauimus supra §. 3. b. c.  
 Prouocamus autem hic ad definitionem actionis vindi-  
 ctae persecutoriae, quam communicauimus. §. 2. b.  
 c. Quod si enim ostenderim, conuenire eam huic no-  
 strae; absoluta penitus erit suscipienda probatio. Vi-  
 deri scilicet poterat, hac actione non tam poenam  
 peti, quam rem, & quidem talem, quae iam antea in  
 patrimonio actoris exhiberit, adeoque hocce remedium  
 rei magis, quam vindictae, esse persecutorium. Ve-  
 rum enim vero fundamentum iuris, quo hic donatum  
 repetitur, non est in eo quaerendum, quod illud olim  
 in bonis donatoris fuerit, neque etiam in alio iure in  
 re, neque denique in contractu vel quasi. Consequen-  
 ter



ter nihil superest, quam delictum, unde firmari possit donatoris repetitio. Quodcumque vero ex eo solummodo petitur fonte; illud quæ poena petitur, non vero qua res. Deinde per ingratitude[m] donatarii patrimonium donatoris non potest regulariter dici diminutum. Quoties vero læsus sine deminutione patrimonii agit ad poenam; toties agere dicitur vindictæ persecutorie, per ea, quæ supra deduximus §. 2. b. e. ut adeo vindictæ persecutoriam adeoque odiosam hanc esse actionem satis superque adpareat. Pro superfluo addimus criterium actionis exosæ, quod ad hanc nostram bellissime quadrat. Scilicet nec hereditibus ea datur, nec contra heredes *l. 7. C. de reuoc. don.* quorum prius proprium veluti est in quarto modo actionum vindictam spirantium, vid. *III. BOEHM. de act. c. l. lit. y.* At est perpetua! OLDEND. *C. 4. act. 20.* §. 7. quomodo igitur odiosis potest adnumerari, inter quarum ~~negotiorum~~ breue durationis spatium supra retulimus? Sed nulla regula, nullus canon, nullum pro- uerbum sine exceptione, & defectum huius characteris alia singularia complura compensabunt largiter, puta, quod res donata consumta vel bona fide alienata in hanc actionem non veniat *l. 7. C. de reuoc. don.* quod ad donationem remuneratoriam non extendatur hæc conditio. BRVNEM. *ad l. ult. C. de reuoc. don. n. 10.* denique quod ob quinque tantum causas ingratitude[m] in *l. ult. C. b. t.* enumeratas concedatur, inque casibus aliis omnibus cesser, STRAVCH. *diff. 8. tb. 26.* HARPR. & SCHNEIDEW. *ad §. 2. Inst. de don.* licet non desint  
dissen-



dissentientes, inter quos iterum est LAVTERB. in *Colleg. ff. de don. §. 49.* Scimus vero, pertinere ad criteria actionis odiosae, quod ea multipliciter esset. Quid vero saepius cessare potest, quam quod non nisi quinquies obtinet, ac ne tum quidem sine restrictione, quam de hac act. euicimus supra. Manet igitur hoc atque stat incorruptum, quod vindictam spiret adeoque odiosa sit actio donationis recuperatoria.

## §. V.

*De tribus reliquis actionibus vindictae persecutoriis.*

Restant secundum distributionem supra §. 2. b. c. factam tres actiones redolentes vindictam, sed hodie plane non vsitatee, quare volante calamo eas hic transcribere fas est. Prima esto actio ingrati, quae datur patrono contra libertum ingratum ad id, vt retrahatur in seruitutem *tot. tit. C. de libert. §. eorum lib.* Altera est ex edicto de non in ius vocando sine venia *l. 4. §. 1. l. pen. ff. de in ius voc.* quae datur sine venia vocato, non vero heredi, (en communem harum actionum affectionem!) contra vocantem, non vero eius heredem, ad L. aureos consequendos, *l. pen. ff. d. t.* aut, si soluendo non esset reus, ad poenam corporalem, *l. ult. ibid.* Hanc actionem ad meram vindictam tendere testatur, STRYK. ad LAVTERB. *tit. de in ius voc. vocibus: etiam heredi &c.* & patet vberius ex *l. pen. h. t.* Quum vero eam hodie cessare in propatulo tit, BEYER. ad *ff. de in ius voc.* nolimus ei diutius inhaerere, sed ad illam calamum promouere, quae datur contra calumniatores *h. e. eos,*  
qui,



qui, vt calumniae caussa negotium faciant vel non faciant, accipiunt pecuniam. *l. 1. pr. ff. de calumn.* Tendere vero hocce iudicium ad meram vindictam, testatur STRYK, ad LAVTERB. *tit. de calumn. voce: hereditibus*, addita eadem ratione, quam nos in definitionem actionis vindicatoriae supra retulimus §. 2. *C. 3. initio*, quod scilicet patrimonio nihil fuerit detractum, vt adeo odium iuris exinde per se possit intelligi. Solent nonnulli huc quoque referre querelam inofficiosi, vid. BOENIGK, *ad Inst. de perp. & temp. act. §. 5. n. 3.* Ast quomodo hereditatem, vel certe eius partem saepe amplissimam, petere vindictae accedat, ego non video. Interim negari non potest, eam actionem quam maxime esse odiosam, quapropter & singularem ei destinauimus numerum eumque proxime sequentem.

§. VI.

*De Querela inofficiosi testamenti.*

Haec querela est actio in rem, qua illi, quibus debetur legitima, in testamento rite quidem, sed inique, exclusi experiuntur contra heredem institutum, petuntque vt testamentum rescindatur, ipsique ab intestato succedant, *tit. ff. de hac quer.* De odio huius actionis praeter STRYK, ad LAVTERB. *h. t. voce ult.* testatur B. HEINECC. *in Elem. ff. h. t. §. 50.* vbi simul rationem eius rei profert, quod scilicet id remedium colore demeritiae suprema propinquorum iudicia interuertat. Sed penitus fundamentum huius odii inspicere non possumus, quam delineato breuiter toto introductae

G

huius



huius querelae processu. Scilicet exheredandi olim li-  
 berrima erat facultas *l. 120. ff. de V. S.* ita, vt nullum  
 proditum esset remedium iuris, quo inique exheredati  
 vterentur. Quum vero hac potestate sua testatores ita  
 saepissime abuterentur, vt liberos etiam infantes & ni-  
 hil tale meritos exheredarent, Val. Max. VII. 7. tan-  
 tum abusum priuatione vsus puniri e re publica puta-  
 runt ICI. Sed nec ipsi leges condere poterant, nec  
 vllum in vastissimo iuris Oceano remedium reperibant,  
 quorsum hoc casu possit confugi. Quare nouam plane  
 actionem excogitandam sibi sumserunt sub pallio per-  
 missae ipsi legum interpretationis. Animaduertentes  
 scilicet, furiosum nec secundum Ius XII. tabb. testamen-  
 tum posse condere, fingeant, testatorem sine causa  
 exheredantem vel praetereuntem emotae mentis fuisse,  
 indeque quae in XII. tabulis de furioso dicebantur,  
 per interpretationem extensiuam adplicabant ad quali-  
 dementem testatorem. Ex his igitur adparet 1) que-  
 relam hanc quoad primam originem esse ICTorum 2)  
 aduersari iuri communi (odiosa autem sunt, quaecun-  
 que a iure communi recedunt §. 7. C. 11. b. diff.) 3)  
 inniti fictioni, eique 4) satis ignominiosae. Vnde est,  
 quod hanc querelam quasi famosam habeat BÖNIGK.  
*ad Instit. b. t.* Sed videamus age, quae singularia in o-  
 dium eius per leges sint introducta. Redeunt autem  
 omnia ad illa fere capita quae in §. 1. C. 3. b. diff. tanquam  
 criteria actionum odiosarum tradidimus. Sic primo non  
 datur nisi in subsidium, §. 2. *Instit. b. t.* id quod commune  
 fere habet cum iis, quae contra Ius commune sunt in-  
 troducta



producta v. gr. cum restitutione praetoria *l. 16. pr. ff. de minor.* Deinde lustro finitur, idque praeter omnium actionum realium naturam *l. 8. §. ult. ff. b. t.* Tertio non datur heredibus actoris extraneis, nisi sit praeparata *l. 6. §. ult. ff. b. t.* in quo continetur cum vlciscendi actionibus; sed discrepat iterum in subiecto passiuo, quod scilicet detur aduersus heredes rei STRVV. *Ex. ad ff. t. b. th. 20.* LAVTERB. *Coll. ff. b. t. §. 25.* manifesto argumento, eam falsissime a nonnullis ad illas actiones referri, quas in § §. antecedentibus hucusque exposuimus, utpote in quibus perpetuum hoc est, quod non dentur contra heredes §. 1. *Inst. de perp. & temp. act.* Ac ne quid relinquatur ex criteriis *§ pbo 1. b. C. hui. diff. datis*; & illud egregie cum hac querela consonat, quod cesset ea quam frequentissime, sed casus ipsos adaccumulare non vacat, vid. saepe laud. HEINECC. *c. 1. §. 58.* Hisce omnibus adhuc addimus duo, scilicet quod cedi non possit haecce querela, nisi forte praeparata, SANDE *de Cess. V. 12.* & BRVNNEMANN *de Cess. IV. 58.* deinde, quod secundum Ius nouum non totum testamentum rescindat, sed solam heredis institutionem, excepto casu, si contra fratres instituat, *Nov. 115. c. 3. in fin. & c. 4. Nov. 22. c. 47.* quod vltimum tamen valde analogon, imo *ἀλογον* fere.

§. VII.

*De actione doli.*

Adiicio vltorius actionibus odiosis illam de dolo, praecunte BEYERO *ad ff. b. t.* Qui licet proprie loquatur

III V 2

G 2 tur





tur de actione de dolo, prout hodie possit considera-  
 ri; faciamus tamen periculum, annon & de Romana  
 cum certitudine idem adserere liceat. Actio de dolo,  
 desinente LAVTERBACHIO in *Coll. ff. b. t.* est actio  
 Praetoria, famosa &c. dolo malo laesis eorumque he-  
 redibus competens aduersus laedentes, ad damni illati  
 restitutionem. Age ex ipsa hac definitione deriuemus  
 potiora huius remedii odia. Praetoria audit, indubi-  
 tato iudicio, eam non nisi in subsidium dari, quia  
 Praetor non succurrit nisi in subsidium. Subsidia-  
 riam vero qualitatem deducit B. HEINECC. ex o-  
 dio legali *P. II. Elem. ff. §. 55.* quare cur non & hic i-  
 dem possit adplicari, ego non video. Idque adeo ve-  
 rum est, quod praefens actio sit subsidiaria, vt etiam  
 excludatur per actionem tempore iam finitam. LAV-  
 TERB *c. l.* Porro famosam eam tradit definitio, ex  
 quo quidem fuit 1) quod non detur contra eos, qui-  
 bus debemus reuerentiam v. gr. parentes vel patronos,  
 contra quos potius in factum erit agendum *l. 17. §. 1. ff.  
 b. t.* 2) quod similiter deneganda sit contra heredes de-  
 ceptoris, nisi quatenus ad eos peruenit *l. 17. §. 1. b. t.*  
 quia scilicet iniustum lucrum & heredi extorquendum.  
 Pariter non datur contra tertium possessorem, arg. *l.  
 15. §. fin. b. t.* Denique & illud odium spirat, quod  
 biennio praescribatur haec actio, ac ne litis quidem  
 contestatione perpetuetur *l. fin. C. de dolo malo* id quod  
 est contra communem actionum litisque contestatio-  
 nis naturam *l. 139. de R. I.* Ceterum de usu & facie hu-  
 ius actionis hodierna vid. saepe laud. BEYERVM *c. 4.*  
 Nos transeamus ad reliqua! §. VIII.



§. VIII.

*De ceteris actionibus odiosis.*

Videntur & aliae nonnullae actiones huc quodammodo posse referri, quarum tamen viteriorem meditationem ob temporis penuriam Beneuolo Lectori relinquemus, adducturi solummodo ad singulas vnam vel alteram rationem, quare odium aliquale prae se ferre videantur. Tales sunt primo in genere omnes actiones poenales per §. 8. C. 11. h. diff. vnde forte est, cur permultae, immo pleraequae earum, breui praescribantur tempore. In genere autem hic notandum, ex numero odiosorum vnum prae alio esse magis odiosum vel minus, adeoque actiones poenales, si non in totum, in tantum tamen, videri odiosas. Porro ob extraordinaria praescriptionis tempora, eaque quam breuissima, odiosae videntur actiones praetoriae, quae rescidunt, quod iure civ. ratum est, quo quidem referimus actionem redhibitoriam, quae modo LX. dies durat, modo VI. menses l. 28. ff. de aedil. ed. it. actionem quanti minoris, quae praescribitur regulariter anno vtili. l. 19. §. 6. ibid. denique ipsam restitutionem praetoriam vtpote quadriennio praescribendam l. vlt. C. de temp. in int. ressit. Addimus porro actionibus odiosis eas, quae ceduntur, per ea, quae dicta sunt §. 5. C. 1. h. diff. it. populares & accusationes, partim ob §. 8. C. 1. h. diff. partim quod illae post annum non dentur, l. vlt. ff. de pop. act. hae vna cum illis procuratorem rei ciant. l. 42. ff. de proc. & l. 13. §. 1. de publ. iud. Sed quid dicemus de condictione indebiti? Eam quo-



que ego huc retulerim, idque inter alias causas propterea, quod multipliciter ea cesset B. HEINECC. ad ff. h. t. §. ult. quam qualitatem idem laud. auctor effectibus odii legalis adscribit *cit. libro P. II. §. 58.* Denique *remedium nullitatis odiosissimum* vocat LVDOLF. in *Iure Cam. p. m. 337.* Sed properamus ad finem, subiuncto prius de exceptionibus odiosis §pho.

§. IX.

*De exceptionibus odiosis.*

Quamvis sit iuris indubitati, reos maiorem habere fauorem, ac quidem actores, *reg. XI. de R. I. in Vlt.* & iura facilius dare exceptionem quam actionem dicantur; non desunt tamen defensiones iuri exosae, quae tamen itidem non referimus eas; quae in odium cuiusdam actorum generis sunt introductae (*vid. §. I. C. 3. h. diff. in fin.*) quarum exemplum praebet *l. 40. ff. de condict. ind.* sed potius ad imitationem actionum odiosarum (quia scilicet excipiendo reus actor fit, *l. 19. pr. ff. de prob.*) eas, quas iura non nisi aegre concedunt. Nec tamen ideo putandum est, omnes illas exceptiones, quarum relatas actiones hucusque considerauimus, aequae odiosas esse, quam has: sunt enim ut plurimum longe fauorabiles, uti speciatim de exceptione doli, speciali scilicet, euincit STRYK, ad LAVTERB. *de dolo malo*, vocibus: *etiam doli.* Quemadmodum vero non implicat, ex pluribus odiosis vnum minus, alterum magis esse odiosum; ita & dictae exceptiones si non in totum, in tantum tamen videntur odiosae. Prae aliis vero



vero odiosa adparet *doli exceptio* iamiam memorata, quae scilicet datur dolo malo laesis, contra circumuenientes, qui eos ex hoc negotio conueniunt, *l. fin. ff. de dolo malo*. Cuius odio inter alia tribuimus, quod aeque ac actio sui nominis, non terur aduersus eos, quibus debetur reuerentia *l. 4 §. 16. ff. de dol. mal. & met. exc.* non adtento, quod proprie non infamet. STRYK. *c. l.* Multo magis igitur odiosa nominabitur *exceptio infamiae* tam per *§. ult. Inst. de exc.* quam potissimum per paroemiam German. *Es sey besser io. Uneheliche ehrlich/ als einen Ehrlichen unehelich machen.* Quin & omnes fere *exceptiones delictorum* quodammodo huc possunt referri, eo, quod omnis praesumptio debeat esse doli exclusiua, per *iura vulg.* Similiter odiosa videtur *exceptio desertionis ratione formalium*, dummodo probabilis excusandi causa adsit, & alioquin de iustitia causae principalis adpareat, id cui etiam in summis Imperii dicasteriis locus relinquitur. vid. *diff. L. B. ab ENDE de fatalium rigore iniquo.* Denique his omnibus adnumeramus *exceptiones*, vti vocant, *altioris indaginis* siue illiquidas, quae tamen non nisi respectiue odiosae sunt, scilicet ratione interdictorum & instrumentorum garantigiatorum, contra quae non admissae remittuntur ad reconuentionem. De illo vid. *SCHVZ. Comp. ad Lauterb. de remed. l. fin. C. de ed. D. Hadr. toll. de hoc Ill. LEYSERVM in Meditar. ad ff. Spec. 513.* vbi late de exceptionibus illiquidis agit. Sed sufficiant haec pro demonstrando exemplis, dari exceptiones odiosas; Imo sufficiant, quaecunque in hoc scripto continentur,  
pro



pro praesentis instituti mei ratione. Tui erit, Bene-  
uole lector, si qua haec inueneris, quae displicent Ti-  
bi, pro animi Tui aequitate corrigere ea atque  
in melius reformare, id quod mihi erit  
gratissimum.

PRAENOBILISSIMO CONSULTISSIMOQUE  
SYMMORVM IN IVRE HONORVM  
CANDIDATO DIGNISSIMO

IOANNI LVDOVICO SPAN

S. P. D.

GEORG. GVILIELM. WAGNER

IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD. ET FACVLT.  
IVRID. ASSESSOR.

Dum TE, IVRIS honorum CANDIDATE DI-  
GNISSIME, cathedram publice conscendentem  
video, eo maiorem exinde voluptatem perferisco,  
quo plures sunt rationes, quae eandem suo quasi iure  
prouocare videntur. Ante aliquot annos, cum OPTI-  
MO FRATRE IVO, in nostram delatus es Acade-  
miam. Ex illo tempore & noscere VOS, & Audito-  
res



res diligentissimos habuisse, mihi datum est. Hortatus sum, ut soleo, si quae forte dubia, aut prima fronte videantur obscura, mihi candide exponere, meque sine omni haesitatione accedere velitis. Tum vero solida litterarum elegantiorum fundamenta a TE iacta, nec illotis, ut aiunt, manibus in iurisprudentiae adyta proruisse, eamque ob causam TE cuncta iuris capita facillime adsecutum esse, ex sermonibus amicis saepissime TECUM institutis, non sine magna laetitia perspexi. Eloquentiae nimirum, historiarum, ac omnis philosophiae praesidia, & aditum Themidos praestant facillimum, & quae aliis hisce destitutis sunt impervia, sine magno negotio recludunt, veramque ac in longum duraturam pollicentur eruditionem. Miratus sum saepissime promississimi TVI ingenii velocitatem, & quod verae in primis TIBI cedit laudi, morum elegantia, prudensque viuendi ratio, TETE vbiuis effecere commendabilem. Quae omnia tum naturae dotibus, bonaeque indoli, tum prouidae curae Beati Parentis, sollertissimi Viri, Serenissimi Marchionis de Brandenburg-Anspach, & Illustrissimi Comitis de Solms-Roedelheim Consilarii aulici, & Directoris in Cancellaria, suis etiamnum meritis vbi que

H

con-





concelebratissimi, adscribenda esse existimo. Ienam inde adisti, ac Viros eruditione celebres ibidem sedulo audiisti. Visis tum aliis locis illustribus, demum, ne quid perfectioni deesset, summum Themidos sacrum, quod Wezlariae statutum est, intraisti, ibique Theoriam cum Praxi felici iunxisti copula TEque hac ratione ad magna quaevis capeffenda egregie formasti. Redux inde me rursus exoptatissima TVA praesentia exhilarasti, TVVMque propositum de ambiendis in vtroque iure honoribus mecum communicasti, ac nostram in primis Academiam, optione TIBI relicta, praec aliis elegisti. Proprio Marte, huic instituto perficiendo, sat anticipitem de *odiosis in Iure* extricasti materiam, non moratus de solo naturae iure verba fundentium varios dissensus; cuius quippe pro ingenio, in multis caussis, demta lege ciuili, in vtramuis partem contentionis serra facile duci potest. Verissimum enim illud CICERONIS de Officiis L. III. C. XVII. *Aliter Leges, aliter Philosophi tollunt absurdas, Leges, quatenus manu tenere possunt, philosophi, quatenus ratione et intelligentia.*

Primo vero statim congressu, omnem iuris rationem TE accuratissime complexum esse, Illustris Iu-

recon-



reconsultorum ordo publice declaravit. Hasce itaque ob rationes, summo iure TIBI gratulor, mihiq; gaudeo. Habet aestimatissima mater TVA, honestissima Matriona, quod de filio dignissimo ex animo laetetur. Non minori gaudio maclabis auunculum vtramque IOANNEM LVDOVICVM, & IOANNEM MARTINVM BVRGK, alterum Illustris Reipubl. Francofurtensis Syndicum, alterum diuersorum Imperii Principum Consultarium, Viros munerum splendore, suaque meritorum amplitudine maximopere suspiciendos. Charissimus FRATER TVVS, vna cum tota splendidissima Familia, immo omnes boni habent, quod de honoribus, ipsa decernente Themide, TIBI ceu dignissimo collatis, impense delectentur. Certe, quantum ad me atinet, de TE summa quaeuis, spe non vana, iam iamque praesumo, mihiq; nihil erit exoptatius, quam si de rebus TVIS prospere gestis frequens aduenerit nuntius. Quod vt summum Numen faxit, ex animo voueo, TVOque fauori me de meliori commendo.

Dabam Giffae die IV. Nouembr.

M DCC XLVI.



Sequuntur reliquae amicorum gratulationes  
ordine alphabetico collocatae.

**T**Hemis! sammle deine Schätze/  
Theil sie deinem Sohn heut mit/  
Dem Verfechter der Gesehe/  
Der zu deinem Tempel tritt.  
Ich und alle / die Ihn kennen / ruffen unserm Freund  
de zu :

Lebe : blühe : und genieße diese Frucht in voller Ruh.

Dieses setze seine Schuldigkeit  
zu bezeugen

J. D. Gros / I. V. C.  
aus Weklar.

**M**Ein Freund! dein steter Fleiß im Lahn- und  
Saal-Althen  
Macht / daß du kanst mit Ruhm auf dem Catheder  
stehn.

Ich wünsche Glück darzu / und das vor andern allen/  
Weil mir dein treuer Sinn allstets hat wohlgefallen.

Dieses ist, womit dem Hochgeehr-  
testen Herrn Verfasser gegenwär-  
tiger gelehrten Abhandlung wohl-  
meinend Glück wünschen wolte

I. I. HESS, Batishaco-  
Wetteraus, I. V. C.

Nalli



Nulli diuitias, nulli sua munera pandit,  
 Ni qui sincere se colit, alma Themis,  
 His Tu subnixus mediis, ambire supremum  
 Doctorum visus, Candide Amice, decus.  
 Hac illud Tibi lege datum, nunc incipe tandem,  
 Quem virtus peperit, clarus honore frui.

*Honoris & Amicitiae causa gra-  
tulabundus scripsit*

G. W. LVDOLF,  
I. V. C.

**Mein Freund!**

von deinem muntren Fleiß

Ist das der kräftigste Beweis /  
 Daß wir der Rechten edles Wesen /  
 Was ihren Mißbrauch schändlich macht /  
 Was blöder Unverstand erdacht /  
 So schön durch Dich erkläret lesen /  
 Daß sie mit sonst verhassten Dingen  
 Nun niemand in Verwirrung bringen.

Drum nimm / gelahrter Musen Sohn!  
 Den Kranz zum wohlverdienten Lohn

H 3

Von





Von der berühmten Väter Händen.  
 Ich weiß/ Du wist den Ehrenstand/  
 Die Treue ist uns schon bekannt/  
 Mit Fleiß dem schönen Amt verpfänden;  
 Auch bald in frohem Wachethum blühen/  
 Und mir die Freundschaft nie entziehen.

Hiermit bezeuget dem Herrn Verfasser  
 gegenwärtiger Abhandlung seine  
 schuldige Beifreude, zur erlangten  
 Würde eines Licentiatii iuris, und  
 versichert sich Desselben fernere  
 Zuneigung

J J Wagner / I. V. C.

Freund! wem/ wie DJR/ die Jugend eigen/  
 Dem bleibt der Ruhm/ dem bleibt die Ehr.  
 Drum nim den Lohn/ und täglich mehr/  
 Ich will wie heut/ so niemals schweigen.

Dem Hochgeehrtesten Herrn Candidato,  
 seinem wehrtesten Freunde, bezeugte  
 seine gehorsamste Ergebenheit  
 also

M. Ludwig August Würffel/  
 von Greifswald aus Pommern.





ULB Halle

004 060 741

3











*D. 60. 127*  
*G. 2. num. 27.*  
*1746, 6*  
*14*

DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS

DE

# ODIOSIS IN IVRE

QVAM

AVCTORITATE ET DECRETO  
*P. 11.*  
ILLVST. FACVLTATIS IVRID.  
IN CELEBERRIMA LVDOVICIANA

PRO

## LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
AC PRIVILEGIA CONSEQVENDI

H. L. Q. C.

PVBLCO PROCERVVM ACADEMIAE EXAMINI

SVBMITTET

AD D.

NOVEMBERIS *clb*lccxxxxvi.

IO. LVDOVICVS SPAN.

GIESSAE

Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.

